Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1273
Quelle:
Copyright:

rant — corrupta ſunt. &c. Itaque reſtauranda Conſecrationibus, quarum Formulae ſuperſtitioſae una cum virtutibus Lapidum pretioſorum plus quam anilem credulitatem poſcentibus ſequuntur. Diverſum ab *Evacis* Regis et *Marbodi* Ep. iisque, quae in *Hiſt. Typogr. Vien.* p. 55. et 311. recenſui, Opuſculum.

VI. *fol.* 83. p. 2. Reſumuntur Sententiae et Adagia verſiculis concluſa v. g.

Non confert ulla regnum celeſte gugulla. (Cucullus).
Ni mens ſit pura, non prodeſt Regula dura.
Ante deum teſtis mens eſt, non aſpera ueſtis.

et centum ſimilia de omni argumento.

VII. *fol.* 85. Extrema Libelli *de Pulſibus*, et continuo *Incipit liber vrinarum theophili epiſcopi.* Ita libenter ad magnas dignitates promovebant Librarii. Alii Monachum, alii Protoſpatharium fecere, alii *Philotheum*, etiam *Philaretum* dixere graecum Sec. VII. Scriptorem, de cujus Opuſculis tam *mſs.* quam editis utraque lingua agit *Hallerus Biblioth. Medic. pract.* T. I. p. 307. Noſter init: *De urinarum differentia negotium multi ueterum medicorum aggreſſi ſunt ſcribere. Quorum primus omnium ypocrates chous* &c. unde non bene putavit *Hallerus*, Verſionem, quae legitur in *Articella Venet.* 1483. et 1493. f. impreſſa, ad *Ponticum Virunnium* pertinere; eſt enim noſtra, propterea que Philologo illo *Bellunenſi*, qui primum poſt Sec. XV. medium lucem adſpexit, multo vetuſtior.

DLXIV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 334. f. per duas columnas nitide, ſed minutius, crebrisque compendiis exaratus, coloribus illuſtratus, et multis marginum notulis adſperſus fuit primum *Monaſterij ſancte Dorothee in Wienna* et inſcribitur: *Incipit ſumma uiri uenerabilis magiſtri Guilielmi altiodorenſis.* Lege *Altiſſiodorenſis*, ut habetur etiam ad calcem. Quatuor Libris mole imparibus conſtat Opus, quorum I. de Deo. II. de Mundo. III. de Reparatione Generis humani. IV. de Sacramentis pertractat. Initium primi eſt: *Sicut dicit apoſtolus. fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum* &c. Extremum ultimi: *Illa gaudia nobis preſtare dignetur Jeſus chriſtus dominus noſter. Qui cum patre* &c. Adjacet mihi Editio *Pariſina* apud *Franc. Regnault ſ. a. f. min.* in cujus fronte Noſter audit *ſacer Preſul*, confuſione fortaſſe cum Epiſcopo *Guilelmo Autiſſiodorenſi* συγχρονῳ, qui dein ad *Pariſinam* ſedem translatus eſt. Illum ultra Archidiaconatum *Bellovacen-* R. 3039